
17

EPISTOLA PASTORALIS

AD CLERUM ET POPULUM

A L B A N E N S I S

D I OE C E S I S.



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA COLLEGII URBANI DE PROPAGANDA FIDE

M D C C C X X X I X.

III

JACOBUS

MISERATIONE DIVINA

EPISCOPUS ALBANENSIS

S. R. E.

CARDINALIS JUSTINIANUS

SACROSANCTAE VATICANAE BASILICAE ARCHIPRESBYTER.

VENERABILIBUS FRATRIBUS, AC DILECTIS FILIIS, ORDINI CANONICORUM, CLERO, ET POPULO DIOECESIS ALBANENSIS.

Alloquuturi Vos de suscepto a Nobis vetustissimo atque in primis illustri Albanensi Episcopatu (*Ughellius Italia Sacra tom.* 1. *de Ep. Alb.*), rationem facti Nostri quodammodo tradere, gratum vobis futurum esse putamus. Etenim postquam aliquot annos Fori Cornelii gessimus Episcopatum, atque illum deinde dimisimus, videbamur Nobis tale consilium sensim inivisse, ut vix unquam in posterum Nos assensuros esse censuissemus iterum obeundae Dioecesis alicujus, et animarum regiminis procurationi. Sentiebamus publicorum munerum, quae Nobis commissa sunt, gravitatem, et ad illa diligenter implenda Nos ipsos penitus converteramus.

Sed mutavimus hoc animi Nostri propositum, cum, Emo Domino Joanne Francisco S. R. E. CARDINALI FALZACAPPA ad Episcopatum Portus, S. Rufinae, et Centumcellarum transeunte, Albanensis Sedes Episcopalis esset vacatura. Facile enim Nos ad illam occupandam adducti sumus, cum SSmum Dominum Nostrum GREGORIUM PP. XVI. de ea re consulturi adivimus, atque ab eo, placere sibi accepimus, Nos Episcopatum Albanensem suscipere. Quid enim Nobis optabilius, quid votis Nostris potest esse magis consentaneum, quam ea facere, quae in universae Ecclesiae regimine, D. Petri Apostolorum Principis Successori grata esse reperiamus?

Accessit praeterea consideratio florentis in ista dioecesi, Religionis, atque Ecclesiasticae disciplinae status. Qua in re, cum ceteris Praedecessoribus Nostris, tum praecipue memorato superius Cardinali summa laus est tribuenda, qui postquam optime meritus de Ecclesia isthic fuisset, nuper ad aliam vineae Domini partem colendam vocatus est. Ipsorum denique locorum, quae Albanensis Dioecesis finibus continentur, accessit consideratio, quae, cum veterum monumentorum recordatione sint celebratissima, idcirco ad Nostram, qui his rebus curandis, tuendis, ornandisque praefecti sumus, vigilantiam, jam antea pertinebant.

Itaque hanc scribimus vobis epistolam " non quasi ignoranti„ bus veritatem (*I. ep. Jo. cap.* 2.) sed quasi scientibus „. Neque sermo noster alio respicit, nisi ut " quam accepistis unctionem „ (Spiritus Christi) manere sciamus in vobis „. Nam doctrina, quam Christus tradidit, quam Apostoli in regionibus nostris praedicaverunt, quam semper Ecclesia custodiendam curavit, ea est,

ut vos, illam sectantes, consequi certo possitis "repromissionem, quam „ Christus pollicitus est vobis, vitam aeternam „. Atque haec quidem adeo sunt vera, ut Joannis Apostoli testimonio possimus confirmare, Christum doctrina sua saluti vestrae plenissime prospexisse, neque vos indigere ut fusius ab aliquo doceamini, si quam Ecclesia proponit traditam ab Illo doctrinam accurate servetis. Etenim Joannes ait: " Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos de „ omnibus, et verum est, et non est mendacium. Et sicut do- „ cuit vos, manete in eo „.

Verum quis ignorat in quam luctuosa Religioni tempora inciderimus? Quis non videt, pastoralem Nostram sollicitudinem vehementer excitari debere periculorum gravitate, in quibus Religio versatur? Quis denique non intelligit, Nostri praecipue muneris esse debere gregi Nostro insidias illas aperire, quas contra Religionem nostram moliuntur homines, qui *sanam doctrinam* noluerunt *sustinere*?

Profecto diebus istis, qui *mali sunt*, reperiuntur ubique *illusores secundum desideria sua ambulantes in impietatibus* (*Judae ep.cath.v.* 18.), quorum sermones sunt etiam quandoque *molliti super oleum*, intrinsecus autem *sunt jacula*.

Sciunt omnes, fortasse nunquam, magis scelestum, magisque periculosum bellum Ecclesiae Catholicae indictum fuisse, nunquam tam late patenti conspiratione, de instituta divinitus Religione nostra, si fieri posset, funditus evertenda dimicatum esse. Sunt ista omnibus notiora, ut si propriam hanc aetatis nostrae calamitatem per singula capita recenseremus, ad augendum vestrum, bonorumque omnium dolorem verba facere videremur.

Quid vero magis nefarium quam Domini Nostri JESU CHRISTI divinitatem inficiari " in quo habemus redemptionem per San-
„ guinem ejus ... qui est imago Dei invisibilis ... quia in ipso
„ complacuit omnem plenitudinem inhabitare?„ (*Ad Colloss.cap.*1.) Tantum autem hoc scelus temporibus praesertim istis erat reservatum, quibus tot perditi homines " praescripti in judicium, impii,
„ Dei Nostri gratiam transferentes in luxuriam „ (*Judae Ep.Cath.* *v.* 4.) nefariis scriptis suis *solum Dominatorem* , *et Dominum Nostrum Jesum Christum* blasphemantes *negaverunt*.

Quid stultius, quam Ecclesiam Dei Vivi, columnam et firmamentum veritatis (1. *ad Timoth.* 3. 15.) contemnere, et divinitus institutae ejusdem auctoritati imbecillem humanae rationis, pravo modo deductam auctoritatem opponere? Nonne vero aetate nostra quamplures decepti *per philosophiam* , *et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi* , *et non secundum Christum* (*ad Coloss.* 2. 8.) , ceteros decipere conantes, gloriantur erronea ista scribendi methodo in Religionis doctrina pertractanda?

Nolumus cetera persequi singillatim, quae in hoc rerum genere, aetati nostrae sunt in primis ignominiosa. Illud tantummodo non omittemus, quod in praecipuis Religionis hostium conatibus ponendum est, ipsos, scilicet Sacros Libros, pro generis humani salute divinitus scriptos, ad hominum perniciem adhiberi ab iis, qui tanto studio, depravatas Scripturae Sacrae versiones spargendas curant, ut earum lectione, errores suos hominibus incautis persuadeant, eosque retrahant a vera Ecclesiae fide, cujus est, judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum. (*Conc. Trid. Sess.* 4. *de edit. et usu Sacr. Librorum.*)

Gratiae quidem Deo Optimo Maximo sunt referendae, quod regiones nostrae, prope veritatis fulgorem, qui ex D. Petri cathedra constanter elucet, tam gravium errorum tenebris haud ita facile possint offundi. Quoniam vero certum est filios hujus saeculi, filiis lucis esse prudentiores (*Luc.* 16. 8.); gravissimae ignaviae esset, dum de convellendo prorsus Religionis aedificio his temporibus agitur, opportuna salutis monita quocumque non afferre, et insidias, quas in Ecclesiam Catholicam hostes acerbissimi machinantur, undique non propulsare.

Quare vos primum appellamus Cathedralis Ecclesiae Nostrae amplissimi Canonici, Vos deinde, qui animarum curam geritis, Vos denique quotquot estis, sive saeculares, sive regulares ecclesiastici ordinis viri. Vestrum erga Religionem studium Nobis quidem notum jam est. Obsecramus tamen Vos, ut quo graviora impendent Ecclesiae mala, eo vos acriores ad populi salutem procurandam, atque ad Religionis incrementum consequendum exhibeatis. Commendamus vobis in Domino, ut ambuletis omnes in spiritu vocationis vestrae, atque ut vitae sanctitate, sacrorum officiorum diligenti pertractatione, omni tandem, quae status vestri propriae sunt, virtutum genere, *luceatis omnibus, qui in domo sunt.*

Vos etiam plurimum respicit oratio nostra, Adolescentes ornatissimi, qui in Seminario Nostro ad bonarum artium studia, atque ad sacerdotium suscipiendum instituimini. In vobis, Dioecesis Nostrae praecipuam expectationem possumus intueri. Egredimini enim vos aliquando ex ista domo, ut Religionis causa propugnanda, vestris laboribus suo tempore committatur. Intelligitis

profecto, vitae sanctimoniae subsidia doctrinae adjungi oportere, ut praeliari praelia Domini cum vera Ecclesiae utilitate possitis. Hortamur igitur vos, ut pietatem, morum integritatem, sedulam in studiorum curriculo peragendo diligentiam afferentes, ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei idoneos vos, Deo juvante, efficiatis. Volumus autem vos erga Emum Episcopum Praedecessorem Nostrum grati animi recordationem perpetuo retinere, cujus potissimum opera, ac virtute factum est, ut Seminarium istud, ampliores, amaeniores, et ad studiorum cursum absolvendum commodiores aedes assequeretur.

Vos quoque Lectissimae Virgines Deo dicatae, vos appellat oratio Nostra, ut corpore, et spiritu Deo impense servientes, precibus vestris, Nos, Nostrumque Clerum, et omnem Populum, apud thronum gratiae sine intermissione juvetis.

Tandem vos Dioecesis Nostrae Optimates, Magistratus, Cives, Incolasque universos precamur, ut in afferendis virtutum exemplis, studiose vicissim laboretis. Floreat apud vos quotidie magis Nostra Religio. Ecclesiae Catholicae auctoritatem tamquam certissimum fidei vestrae propugnaculum constanter inspicite. D. Augustino enim teste possumus affirmare: *Contra hoc robur, contra hunc inexpugnabilem murum, quisquis arietat, ipse confringitur.* (*Serm.* 294. *al.* 14. *de verbis Apostoli n.* 17. *c.* 17.)

Imploremus SSmae Virginis MARIAE potentissimam opem, in cujus tutela Dioecesis Nostra est. Illam precemur pro nostrum omnium incolumitate, certo scientes, precationi nostrae perpetuo, clementissimam Dei Matrem esse adfuturam, atque in tempore opportuno auxilium nobis omnibus necessarium esse allaturam.

Sanctissimi denique Martyris adolescentis **PANCRATII**, quem Patronum Dioecesis Nostra singulari religione colit, tutamen flagitemus. Ejus vero animi fortitudinem in Christi fide propugnanda recordemur, atque ab eo petamus, ut Dioecesis Nostrae bono prospiciens, ejusque votis obsecundans, illam apud Deum Optimum Maximum tueatur.

Postulat vero summa, quam erga SSñum Dominum Nostrum GREGORIUM PP. XVI. profitemur, animi observantissimi veneratio, ut vobis eum in Domino studiosissime commendemus, quo precibus etiam vestris adjutus, in tam saeva, quae excitata est contra Ecclesiam tempestate, ipse ad Fidei Catholicae defensionem, incolumis diu persistat, et sapientia munitus a Patre luminum, portas Inferi contra Ecclesiam non posse praevalere, multos annos confirmare prosequatur.

Nos denique ipsos precibus, ac pietati vestrae plurimum commendantes, ut verbo, et exemplo Dioecesi Nostrae proficere valeamus, amantissimi animi nostri testimonium, paternam benedictionem vobis omnibus impertimur.

Datum Romae extra Portam Capenam sexto Idus Decembres Anno MDCCCXXXIX.

IMPRIMATUR

Fr. Dominicus Buttaoni O. P. S. P. A. M.

IMPRIMATUR

A. Piatti Patriarcha Antioch. Viceg.

IMPRIMATUR

Fr. Dominicus Buttaoni O. P. S. P. A. M.

IMPRIMATUR

A. Piatti Patriarcha Antioch. Viceng.